



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**In Evangelia: Qvæ Vsitato More in diebus Dominicis &
Festis proponuntur, Annotationes Philippi Melanth.**

Melanchthon, Philipp

Vuitebergæ, 1544

VD16 E 4532

Die Natali Christi, Evangelium Ioan. I.

urn:nbn:de:hbz:466:1-35272

Apostolorum.

Sed inter personam **Ioannis** & **Christi** est discrimen. **Ioanes**, id est, omnes ministri baptizant aqua in *myro*: id est, administrant ceremoniam & uerbum. **Christus** igni baptizat, id est, dat spiritum sanctum, qui iudicat & arguit peccatum in nobis, & affert nouam uitam & lucem.

SEXTVS. Quis sit **Christus**, **Ioannes** clarè testatur, hunc **Iesum** esse filium **Dei**, & quidem antea fuisse, ante assumptam humanam naturam, affirmat esse redemptorem, passurum pro mundo. Ideo inquit: **Eccce agnus Dei**, qui tollit peccatum mundi, id est, est uictima à **Deo** proposita, sola placens **Deo**, sustinens poenas pro peccatis mundi & c. Hic simul interpretatur sacrificia legis, quòd fuerint tantum signa huius futuri sacrificij, & non iustificauerint.

**DIE NATALI CHRISTI, EV-
angelium Ioan. I.**

IN PRINCIPIO ERAT VERBUM,
& uerbum erat apud **Deum**, & **Deus**
erat uerbum. Hoc erat in principio
apud **Deum**. Omnia per ipsum facta
sunt, & sine eo factum est nihil, quod factum

C 3 ctum

DIE NATALI

Etum est. **I**n ipso uita erat, & uita erat lux hominum, & lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non apprehenderunt. **E**rat homo missus à **D**eo, cui nomen **I**oannes. **H**ic uenit ad testificandum, ut testaretur de luce, ut omnes crederent per ipsum. **N**on erat ille lux, sed missus erat, ut testaretur de luce. **E**rat lux illa uera, quæ illuminat omnem hominem uenientem in mundum. **I**n mundo erat, & mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognouit. **I**n sua uenit, & sui eum non receperunt. **Q**uotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios **D**eï fieri, uidelicet his, qui credunt in nomen ipsius. **Q**ui non ex sanguinibus, neq; ex uoluntate carnis, neq; ex uoluntate uiri, sed ex **D**eo nati sunt. **E**t uerbum caro factum est, & habitauit in nobis, & conspeximus gloriam eius, gloriã uelut unigeniti à patre, plenum gratia & ueritate.

INITIVM **E**uangelij **I**oannis docet, quis sit **C**hristus, & quam ob causam uenerit in mundũ, **Q**uod

CHRISTI.

Generacionem eius
quod euangabit
Iuan 33. q. d. g. u. u. u.
e. u. b. h. a. z. f. e. d. t. h. i.
manu u. t. h.

Quod sit discrimen legis & euangelij, **Q**ue sint propria **C**hristi beneficia. **H**ec apto ordine exponuntur. **A**c ut alij **E**uangelistae initio describunt natiuitatem ex uirgine, ut testentur **C**hristum esse natum ex semine **D**avid, **I**ta **I**oannes describit initio natiuitatem eternam, dicit quae sit persona filius **D**eī, ante assumptionem humane naturae.

Ideo autem **I**oannes de hoc articulo clarius con-
cionari uoluit, ut **H**ebionis & **C**erinthi errorem re-
futaret, qui docuerant in **C**hristo tantum esse huma-
nam naturam, sicut nunc quoq; **I**udaei de **M**essia son-
niant. **H**os ut refutaret **I**oannes, testatur in **C**hristo **I**n **C**hro
duas esse naturas, diuinam & humanam, **A**c de diui-
na sic dicit: **I**n principio erat uerbum, & uerbum
erat apud **D**eum, & **D**eus erat uerbum.

Hebionis
& Cerin-
thi error
duas na-
turas

Credamus uoci spiritus sancti de **D**eī natura
non humanis cogitationibus, & agnoscamus immen-
sam magnitudinem bonitatis diuinae erga nos, cum
intelligimus admirabili consilio eterni **P**atris con-
stitutum, ut hic **F**ilius, qui apud ipsum ab eterno
fuit, ad nos descenderet, ac fieret uictima pro nobis,
& rex noster, defensor, adiutor & saluator. **Q**uo pi-
gnore potuit **D**eus magis testari, quod uerè nos cu-
ret & diligat, quam dato filio, cui uerè communi-
cauit essentiam suam: sicut de consilio **P**atris & ipse
Christus inquit: **S**ic **D**eus dilexit mundum, ut filium

Iuan. 3.
suum uo. e. p. b.
u. u. b. A. u. a. l. l. e.
app. r. e. g. i. o. n. i.
u. u. a. l. l. e. u. l. l. a. n.
u. u. e. x. x. l. i. i. i.

C 4

Genes. primo.
Iohannis hunc
Iohannis hunc
Apocalyp. primo
et non minus

DIE NATALI

suum unigenitum daret & c.

HAEC cogitare utile est, ut sciamus, postulare
& uelle **Deum**, credi hęc de sua uoluntate, quod
propter hunc filium uere nos diligat, quod uelit in-
uocari fiducia huius **Filij**, quod hanc tradiderit nor-
Imuocari man, que ueros cultus a falsis discernit. **Quoniam**
Iudeorum **Iudei** & **Mahometistae** inuocant conditorem coeli &
et **Mahometistae** terra, tamen quia non inuocant eum mentione & fi-
me **hystoria** fiducia filij, repudiat & abominatur eorum cultus, sic
uult inuocari & coli, ut ipse se patefecit, mentione
Deus inuocatur fiducia filij mediatoris. **Hęc** in **Ecclesia** moneri
candis e necesse est, & propterea **Ioannis** contionem hęc do-
sicut se. centem meditemur, & sicut inquit **Basilius**, in prima
patefecit mus cordibus tanquam sigillum.

QVIA uero **Diabolus** odit **Filium Dei**, impu-
Diaboli lit multa leuia ingenia, ut hanc doctrinam **Ioannis**
suicidii deprauarent, praesertim alioqui extra conspectum ra-
depra- tionis positam. **Ideo** pie mentes diligenter admo-
uandi nendae sunt ut ueram, certam & perpetuam **Catho-**
hanc licę **Ecclesie Dei** sententiam retineant, & tradant
doctri- posteris. **Sumpta** est autem narratio ex **Genesi**, ut ibi
nam. describitur **Deus** dicens: **Ita** hic **Ioannes** ait, in princi-
pio fuisse uerbum apud **Deum**.

Quid sit **PRIMUM** ergo hoc discas ex eo loco, quid
deus sit **Deus**, **Quia** enim dicit, est substantia intelligens:
& quia ante omnia est, est eternus: & quia condit
omnia

omnia, est omnipotens, & est bonus, bona uolens & dans creaturis.

SECUNDO, quod hic ait Ioannes, uerbum fuisse in principio, discas eum hoc uelle, quod fuerit ^{Filius} coeternus Patri, Erat, inquit, in principio, q. d. non ^{coeternus} est conditum, sed erat ante conditionem. ^{patri}

QUARE autem uocat Verbum? Hic fir- ^{Cur filii} missimis pectoribus retineamus sententiam, ^{enarrat} quod λογος significet personam, ut ^{uocatur} postea ^{uocatur} Textus clare ostendet. Cur autem uocetur λογος, ^{uocatur} uñ, sicut alij aliam expositionem tradiderunt. Ioannes sumpsit ^{uocatur} λογος à Moise, qui ait: Deus dixit. Sed primum recensebo ^{uocatur} explicationem, postea refutabimus calumniatores, qui hunc locum deprauarunt. ^{uocatur} Irenaeus ait ^{uocatur} Filium dici ^{uocatur} λογος, quia est persona loquens cum patribus. Sicut hic Ioannes inquit: ^{uocatur} Filius qui est in sinu ^{uocatur} Patris, ipse ^{uocatur} enarrat nobis. Et ^{uocatur} Ambrosius & ^{uocatur} Hilarius dicunt ^{uocatur} filium cum patribus loquutum esse. ^{uocatur} Basilius & alij dicunt ^{uocatur} filium dici λογος, quia sit imago ^{uocatur} Patris genita à patre sese cogitante. ^{uocatur} Pater enim intuens sese, gignit cogitationem, quae uocatur ^{uocatur} Verbum, quae cogitatio est imago ^{uocatur} Patris, in quam imaginem ^{uocatur} Pater, ut ita dicamus, transfundit suam essentiam. Hae imago ^{uocatur} substantialis patris est altera persona et dicitur uerbum. Sequitur in textu.

**ET VERBUM ERAT APUD
C S DEVM**

DIE NATALI

*Discere
no perso
nar* **DEVM**, hic personae discernuntur **Pater** & **Filius**
hab. 1. Deinde, ut tamen sciamus, filium non esse creatum ex
nihilō, sed uerè natum ex substantia patris, & esse lu
men de lumine, ut inquit symbolum. Ideo additur, Et
Deus erat uerbum. Hic clarè affirmat λόγος esse deū.
ergo & ipse λόγος est persona diuinam essentiam ha
bens. Nam λόγος ponitur subiecti loco, & Deus tan
quam describens quid sit λόγος, ponitur praedicali
loco. Sicut autem Ioannes uocat filium λόγος, sic in
Epistola ad Ebraeos dicitur fulgor glorie & ima
go substantiae patris. Haec uerba describunt aliquo
modo filium, & generationem, Quia enim dicitur
imago, est alia persona similis patri, sapientia, iustitia,
potentia, & quia est fulgor paternae essentiae, signi
ficatur communicata essentia. Sequitur autem in **Ioan**
anne.

OMNIA PER IPSVM FACTA SVNT, ET
sine ipso factum est nihil, quod factum est. Haec sen
tentia saepe repetita est in scripturis, ut ad **Colloß.**
& **Ebrae.** Per quem fecit saecula, & in **Ioan.** **Mundus**
*Filius
creator
cū patre
& aequi
omni po
tens.
92. p. 1.* per ipsum factus est. Est autem illustre testimonium,
quod λόγος sit omnipotens, & cum patre conditor
rerum. Sed disertè dicitur, per filium omnia condidit,
quasi patre deliberante cum filio & statuente, ut cū
ait, faciamus hominem ad imaginem nostram, Sed de
modo non differamus, tantum testimonia meminere
mus

mus, ut sciamus filium esse omnipotentem, & opitulatorem nobis à patre donatum, & cum patre inuocandum.

Cur additur, **SINE EO NIHIL FACTVM EST QVOD FACTVM EST?** Non dubito, quin discernat hic condita à nō conditis, quasi dicat: Videtis in mundo cœlestia corpora, elementa, plantas, animantia, homines, certas leges cœlestium corporum, vires plantarum, generationes, videtis & homines præditos esse mente & intelligentia. Hæc omnia agnoscitis esse pulcherrima, optima, ac testari, esse aliquid quam æternam mentem architectatricem. Sed præter hæc in tam pulchra rerum omnium natura, videtis in hominibus peccatum & mortem, miramini infinitam confusionem vitæ humanæ, quæ religionum & imperiorum dilacerationes, quantum in singulis hominibus est vitiosarum cupiditatum, erroris & lapsuum. Quam multi insontes & benemeriti, percunt tragicis casibus. Hæc mala tanta sunt, ut ea intuentes profani, obliuiscantur pulchritudinem mundi, & incipiant dubitare, de causa mundi. Magis enim mouentur conspectu ingentium malorum, quam pulchritudinis naturæ. Hinc sunt illa Epicuræa. Sed fors incerta uagatur, Fert quæ, refert quæ uices, & habent mortalia casum.

Discerni igitur apud Ioannem necesse erat
opera

DIE NATALI

Peccatum & morte non esse condita a Deo.
opera Dei, ab illa mole miseriarum non condita. **I**deo **I**oannes inquit: **E**a tantum per filium facta esse, quæ sunt condita, id est, ipsam pulcherrimam & optimam rerum naturam, alia uerò quæ irrepserunt, scilicet peccatum & mortem non condita, non esse orta à Deo uolente & efficiente, sicut scriptum est: **N**on Deus uolens impietatem, tu es. & **O**sca 13. **P**erditio tua est **I**sraël, tantum in me auxilium tuum. **E**rgo **I**oannes, ut discernat & excludat ab operibus Dei mala, sic locutus est: **S**ine ipso nihil factum est, quod factum est, quasi dicat, tantum opera, quæ condita sunt, sunt per eum condita, non alia, quæ postea accesserunt non condita, scilicet peccatum & mors, quæ sunt destructio naturæ & operum Dei.

Omnia per ipsum facta sunt.
Preterea cum ait: **O**mnia per ipsum facta sunt, non tantum intelligatur fabricatio mundi, sed etiam comprehendantur omnes mirandæ liberationes in ecclesia factæ ab initio. **Q**uia hic λόγος est **E**manuel, id est, **D**eus nobiscum agens, nos defendens contra **D**iabolum. **I**oannes inquit: **F**ilius qui est, in sinu patris ipse reuelauit nobis. **H**ic **F**ilius locutus est cum patribus, dedit promissiones, seruauit **N**ohe, **A**braham, **I**oseph, **M**osen ereptum ex undis, affuit populo cum educerentur ex **A**gypto, sicut inquit **P**aulus de comitante petra, gubernauit manus **I**osue, **G**edeonis, **D**auidis contra **D**iabolum. **Q**uare sicut cum agnosce

agnoscebant uenturum, ita nos agnoscamus exhibi-
tum, & inuocemus ut nos adiuuet, sicut de eo Ioan-
nes concionatur. **Filius Dei** uenit, ut destruat opera
Diaboli. Ergo inuocemus filium **Dei**, ut defendat ec-
clesiam suam contra **Turcas** & alios hostes. Item ut
regat mentes nostras, & sanctificet spiritu sancto,
sicut inquit: **Veniemus ad eum & mansionem facie-** *Joan. 14.*
mus. Sequitur:

IN IPŒO VITA ERAT, id est, hic *lōs*
uini *fica*
tor *&*
liberator
ipŒus est uiuificator, non tantum dans naturalem ui-
tam & motum rebus, sed etiam peculiariter eccle-
siam liberans ab eterna morte. Iterum enim signifi-
cat se loqui de liberationibus in ecclesia. **Iacob** ad-
uersus fratrem seruatus est, **Moses** ex undis creptus.
Ita seruati & uiuificati sunt & ceteri sancti per fi-
lium **Dei**, per quem & ab eterna morte liberati
sunt.

ET VITA ERAT LVX HOMI-
NVM. Hic ipse uiuificator & semper ab initio est
illuminator ecclesie, sicut antea dictum est: **Filius**
qui est in sinu patris, ipse enarrauit nobis, & postea
cum apparuit, illuminat ecclesiam. **Idem** enim uer-
bum & patribus & nobis impertit, & creat hoc
uerbo lucem nouam, id est, firmam, illustrem & uiui-
ficam notitiam **Dei** in mentibus credentium, sicut ali-
bi dicitur. **Hæc est uita eterna, ut agnoscant te deum**

uerum

DIE NATALI

uerum, & quem misisti Iesum esse Christum. *Joan. 17.*

Quid vo., & corporalem lucem per eum conditam esse, ut cae-
cat hic. Hac est simplex de luce sententia, Alij hic de lu-
ce corporali disputant. Quamquam autem uerum est,
terra corpora, tamen hic loqui Ioannem praecipue de
alia luce, quae est notitia uoluntatis Dei & inchoa-
tio uitae aeternae, sequentia uerba indicant, cum dici-
tur: **Et tenebrae lucem non comprehenderunt.** Hic
enim discernitur ecclesia uera ab impijs non agno-
scentibus lucem, scilicet filium Dei, nec habentibus ue-
Quid vo., ram Dei notitiam. Est autem diligenter obseruan-
cat tunc. ram Dei notitiam. Est autem diligenter obseruan-
dum, quod totum genus humanum, uocat tenebras,
praeeter illos solos, in quibus est notitia filij Dei,
seu in quibus suam lucem per euangelium accen-
dit.

Epilogus
primae
partis
huius
doctri-
nae. Habes igitur primam doctrinam in hoc textu, de
filio Dei, quod sit persona genita ab aeterno patre,
de eius substantia & coaeterna, & quod non sit otio-
sa, sed quod per eam res bonae omnes conditae sint,
& factae mirandae liberationes in ecclesia, & quod
sit uiuificator, liberator, & illuminator ecclesiae, se-
quens concio describet assumptionem humanae na-
turae.

INSERIT autem prius testimonium Ioan-
nis Baptistae, & diserte dicit Ioannem Baptistam
longe infra Messiam esse, uidelicet, ministrum do-
ctrinae

strina, nec esse uiuificatorem aut illuminatorem, quæ
 propriè competunt filio Dei, efficaci in mentibus no-
 stris & danti spiritum sanctum. Postea sequitur re-
 petitio de filio Dei: **IN MVNDO** erat, & mundus
 per ipsum factus erat. Hic cum loquatur de Christo,
 qui apparuit, manifeste ostendit in eo naturam diui-
 nam esse, quia dicit: **MVNDVS PER** eum factus est.
 Non erat autem mundus conditus per humanam na-
 turam.

Quòd dicit: **ILLUMINAT OMNEM HO-**
MINEM, significat primùm per ipsum reuelari uer-
 bum, quod ad omnes pertinet. Seu illuminat omnem
 hominem, scilicet qui illuminatur, sicut infra inquit:
De plenitudine eius omnes accepimus.

Est etiam inserta sententia de applicatione.
 Quomodo consequamur uitam & lucem, scilicet, fi-
 de: **DEDIT EIS POTESTATEM FI-**
LIOS DEI FIERI, credentibus in nomen *De rege*
 eius. Et addit, regenerationem nostram non esse car- *miratio*
 nalem, sicut Anabaptistæ imaginantur, Ex sanctis na- *no*
 sci filios sine peccato. Quia dicit: **NON EX SAN-**
GVINIBVS, id est, fiunt filij non carnali genera-
 tione, **NEQVE EX VOLVNTATE CARNIS**
AVT VOLVNTATE VIRI, id est, non ad-
 optione humana uel legali, nec humano studio
 seu

DIE NATALI

seu imitatione. Respicit autem **Ioannes**, populum legis, significans populum Dei esse, non tantum semen Abrahæ, neq; legales filios, hoc est, circumcisos ex gentibus, id est, inertos politicæ Mosaicæ, fore populum, sed simpliciter ecclesiam Dei esse, omnes renatos fide filij Dei, siue Iudei fuerint, siue gentes, sine discrimine locorum aut gentium &c.

ET VERBUM CARO FACTUM EST.

CVM ait: Verbum caro factum est, testatur filium Dei assumpsisse humanam naturam, & Christum esse unā personam, in qua sunt duæ naturæ, λόγος lucens in tota natura: & natura humana assumpta, id est, corpus & anima. Vsus est autem Ioannes appellatione carnis, ut significaret infirmam naturam assumptam, quæ fuit sine peccato, sed tamen subiecta morti, sicut dicitur ad **Philippenses**: Habitu inuentus ut homo humiliavit seipsum, factus obediens usq; ad mortem. Quoniam igitur hic caro significat totum hominem, tamen emphasis obseruanda est, dici carnem ad significandam mortalitatem.

*Carnis
appella-
tio.*

Postea allegat **Ioannes** testimonia: VIDIMVS GLORIAM EIVS, id est, miranda opera, resuscitationem mortuorum, & alia, fuit igitur dator uitæ & omnipotens.

I A M

TAM cognita hac narratione Ioannis, facilis est refutatio Samosatani & Arii. Samosatenus uasre illusit textum, negans uerbo personam significari, sed propositum Dei, uolentis condere humanum genus, & saluare per quendam excellentem hominem. Ad hanc imaginationem detorsit Ioannis narrationem. Sed firma est refutatio, Cum dicitur: Verbum caro factum est. id non potest intelligi de uerbo uocali, uel de cogitatione, quæ est ipse æternus pater, sed necesse est de aliqua persona intelligi. Item de Christo dicitur. Mundus per ipsum factus est. Iam si Christus tantum esset homo, nec maneret in eo natura diuina, sic dici non posset. ergo λόγος significat manentem personam.

*Samosa
hni &
Arii error*

Nec difficilis est Arii refutatio, si consideremus, quæ fuerit principalis quæstio. Arius concedebat uerbum esse personam, sed negabat esse de substantia æterni Patris, ac contendebat ex nihilo creatum esse. Hic necesse fuit refragari, Et refutatur hoc testimonio. Ioannes ait, Deus erat uerbum. loquitur autem hic de Deo propriè, non metaphoricè. Item ad Ebræ. dicitur: Fulgor & imago substantiæ patris. Ergo uerè est de substantia æterni Patris. Item toties uocatur unigenitus filius Dei, ut discernatur à filiis adoptione. Cum igitur sit propriè filius natiuitate, necesse est eum esse de substantia Patris.

D

Postea

DIE NATALI

*Descriptio
donorum &
officij.*

POSTEA sequuntur descriptiones donorum & officij: **PLENVS GRATIAE**, id est, patri placens prae omnibus, sicut dicit: **Hic est filius meus dilectus.** Et **Ephe. 1.** **Propter hunc dilectum dilexit nos.** **PLENVS VERITATIS**, id est, ueræ notitiæ Dei, & ueræ iustitiæ.

*Verba
Iuannis*

ANTE ME EST, seu anterior me, id est, præstantior uocatione, & gloria seu potentia, **QVIA PRIOR ME ERAT**, id est, coæternus patri, & ab æterno ordinatus ad hoc officium, & primus propter quem Deus dilexit ecclesiam, & qui fuit efficax in ecclesia inde usq; ab initio, id est, fuit adiutor & liberator omnium electorum.

EX PLENITVDINE EIUS OMNES ACCEPIMVS.

Omnes patres, prophete & sancti, hoc reuelante accepimus euangelium, hoc donante accepimus remissionem peccatorum. Hoc mouente & gubernante accepimus lucem, seu notitiam spiritualem, nouam iustitiam & uitam æternam. Sic ipse enarrat: **GRATIAM PRO GRATIA**, id est, acceptationem nostri, propterea quod ipse est acceptus seu dilectus. **Ideo autem sic dicit, ut testetur nos non propter nostram dignitatem placere, sed propter filium dilectum.**

Sequitur

SEQVITVR discrimen Moysi & Messiae, legis & euangelij. **LEX PER MOYSEN DATA EST**, q. d. magnum discrimen est inter officia Moysi & Messiae. **Moyses** fuit minister legis, quae non tollit peccatum & mortem. **Sed Christus** adfert gratiam & ueritatem. **GRATIAM**, id est, remissionem peccatorum & reconciliationem. **VERITATEM**, id est, ueram agnitionem Dei, ueram iustitiam sublato peccato & morte, efficit populum Dei iustum & perpetuum.

DEVM NEMO VIDIT.

Lex naturaliter nota est, & nascitur nobiscum quaedam legis notitia de Deo, quod sit Deus, quod puniat fontes, **Sed uoluntas illa**, de remissione peccatorum gratuita, de admirabili saluatione hominis per filium, nequaquam naturaliter nota est hominibus, sed tantum reuelata per filium. **Ideo dicit: Deum nemo uidit unquam.** **Vera est enarratio**, siue de substantia, siue de uoluntate arcana saluandi homines, intelligas. **Sed hic loquitur de agnitione uoluntatis arcanae**, & mirabili consilio saluandi homines. **Id certe nemo hominum uidit aut deprehendit**, sed solus filius, qui est in sinu patris enarravit, quod uidelicet hoc mirabili modo, quem stupet mundus, uoluerit saluare homines, filio misso, ut fieret uictima, ut resuscitatus regnaret, redderet uitam aeternam, sanctifi-

DIE NATALI

caeret sibi perpetuam ecclesiam. Quae omnia sunt plena admirabilium operum, quae ratio attonita non potest comprehendere. Ideo maxima pars hominum negligit propter incredulitatem, postea fascinata à Diabolo odit & persequitur. sicut supra significatum est: **Tenebrae non comprehenderunt lucem.**

Sed nos audiamus hunc filium sicut mandatum est: **Hunc audite: Et discamus discernere eius uerbum à lege & à sapientia mundi, & accipiamus ex eius plenitudine gratiam & ueritatem, & sciamus certo, haec contingere credentibus, & exuscitemus fidei intuentes in tot promissiones & mandata, quae praecipiant, ut credamus in filium, sicut postea ait Baptista: Omnis qui credit in filium, habet uitam aeternam.**

HISTORIA NATIUITATIS Christi, Luc. 2.

FACTVM EST AVTEM IN DIEBUS illis, exiit decretum à **Cæsare Augusto**, ut describeretur uniuersus orbis. Haec descriptio prima, facta est praeside **Syriae Cyrenio**. Et ibant omnes, ut describerentur, singuli in suam ciuitatem